



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Fames vnde? & esse speciem morbi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

incuruat senectus, deprimit imbecillitas, perturbat ira, & inter has omnia mors excindit cum minis, & sic imponit finem omnibus corporeis latitijs, ut ab eo, quod est esse, recedens, ne fuisse quidem putetur. Pro nihilo enim de cetero habetur, quidquid non est. Illa autem vita aeterna, hanc vitam caducam, miseramq;, & breuem excipiens, cum aeternis afflictionibus & tormentis datur malis, & injustis: latitia verò aeterna & exultatio præbetur justis. Sic sanctissima Virgo & Martyr Cæcilia à fluxis bonis, immò malis, ad stabilia; à terrenis ad cælestia, à desituris ad semper duratura bona traduxit. Nemo enim est, qui, si hæc inter se se conferat, vanitati non præferat veritatem. Atque hac de causa diuina Sapientia vitæ huius ærumnas nobis ante oculos ponit, ut nos melioris vitæ delicias miserijs præponere.

## CAPVT III.

*Fames quid sit, & quantum malum?*

I.



Inter miseras, quæ humanum genus affligunt, venit incensum etiam Fames, non rarus Belli, aut comes, aut sequela, & sæpe etiam extra belli tempora mortales infestans. Quæ non absurdè etiam quoddam genus morbi potest appellari: neque enim solùm morbos atque debilitatem creat, sed ipsa quoque sæuissimo cum cruciatu vitam tollit. Scertè Augustinus cibum mortalibus pro medicina, aut saltem instar medicinæ esse obseruauit. Sicut enim multi agrorum vitam morbo amitterent, nisi Æsculapius aliquis eis medicinam faceret; ita profectò omnes, nisi comederent, fame interirent. Itaque cibus eis pro pharmaco est, pro medico coquus. Tametsi enim fames, *appetitus calidi & sicci*, est à natura homini data, quæ hominem allicit ad vires restaurandas, optimúmque cibi condimentum haud immeritò à Socrate vocatur; quippe

*Ieiunus stomachus rarè vulgaria temnit:*

tamen ea sæpe molesta accidit, & sæpe cruciat, sæpe necat. Hinc illud apud Comicum legimus:

*Fames, & mora bilem in nasum concitant.*

Tantumque est malum, ut apud Ieremiam legamus: *Melius fuit occisis*

S. Augustin.  
lib. 10.  
Confess. c. 31.

Aristot. lib. 2.  
de Anima.  
Cic. lib. 5.  
Tusc. qq.

Horat. lib. 2.  
Carm. 2.

Plaut. in  
Amph.  
Thren. 4. 9.

occisis gladio, quam interfecit fames: quoniam illi extabuerunt consumpti a sterilitate terra. Quod expertus est, Abrahæ temporibus, orbis terrarum. Facta est autem fames in terra; descenditq; Abram in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi, prænauerat enim fames in terra. Fugit ergo Abram cum vxore sua famem, quemadmodum & Elimlech, de quo in historia Ruth hæc habentur. In diebus vnus iudicis, quando iudices praerant, facta est fames in terra. Abijt q; homo de Bethlehem Iuda, ut peregrinaretur in regione Moabitide cum vxore sua ac duobus liberis. Ad eò metuenda res est fames, vt homines cogat patriam cum exilio mutare. Quod & Iacob contigit, qui nisi fame pulsus, numquam in Ægyptum cum filijs, & omni familia sua descendisset: Sicut nec Isaac pater eius ad Abimelech regem Palaſtinorum in Gerara. Tempore autem regum, sapius hoc exitij genere laceratae sunt multae regiones.

In profanis quoque historijs multa reperimus exempla magnarum calamitatum à fame profectarum. Vt enim obſeſa Samaria, rabies edendi, etiam matres adegit ad proprios filios conquendos & comedendos; ita & post Christum à Iudæis occisum, tempore Titi & Vespasiani, in obſidione vrbis Ierolymitanae idem factum est. Nimirum haud immeritò fames à Poëtis maleſuada nominatur. Nam vt C. Cato, in oratione, quam habuit ad populum tumultuantem de frumento diuidendo, dixit: *Perdiffe cile est ad carentem auribus ventrem verba facere. Venter quippe cibi avidus praecepta non audit.* Hinc post victoriam Plataensem Atheniense, Xantippo duce, cum Sestum in Chersoneso oppugnarent, obſidio illa tam diu duravit, vt, qui obſidione tenebantur, lectorum funibus elixis vescerentur. Quid dico funibus? infantibus iam dictum est; immò & viris, Nam, vt Sigonius testatur, Anno 546. Romani, qui Placentiae erant, inopia rei frumentariae vsque ad eò laborare fame coeperunt, vt carnes humanas esui adhiberent. Quibus malis adacti semet cum vrbe Totila Gothorum regi dederunt. Et Alexander Guaguinus memorat, Anno Christi 1569. centum quinquaginta rusticos ad aedificandam arcem Orlo à Io. Basilide Moschorum tyranno missos, coactos fuisse, ob annonae penuriam ex suis nouem mactare, & illorum carnibus vesci. Pharaon per somnium putabat, se stare super fluminem, de quo ascen-

Gen. 12. 10.

Ruth. 1. 3.

Gen. 46.

Gen. 26. 14

II.

4 Reg. 6.

Ioseph. lib. 2. de bell. Iud. c. 8. & Cal. lib. 23 c. 24.

Plutarch. in Caton.

Sabell. lib. 2. Eunead. 3.

Sigon. lib. 19. de regn. Ital.

Alex. Guaguin. in Moschouia.

Gen. 41. 1.

debant